



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Patris Gasparis Druzbecki**

**Pawlowski, Daniel**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066324**

Fontes imperfectionum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45343**

mina instituebat circa primam horam post meridiem. *Decimum septimum*, Examen supra fontes imperfectionum quotidianarum. *Decimum octavum*, In quo inspectis defectibus, contraponebat actus oppositos. *Decimum nonum*, super novitatem spiritus, & fervoris. *Vigesimum*, supra speciales animæ naves, habituales præsertim: Horum quatuor examinum tempus designaverat ante cænam pro commoditate. Sequebatur Examen vespertinum commune, cui adjungebat iteratò alia quatuor Examina; nempe particulare, menstruum, officiale, & corrigendorum ex mense, vel si in his nihil speciale advertebat, faciebat Examen vitandorum, Adjungebat quoque *Examen vigesimum sextum*, supra ordinem actionum, & horarum. Et *vigesimum septimum*, supra ejaculationes in Deum factas. Denique quiescente jam Collegio, instituebat Examen *Vigesimum octavum*, *Censorium*, ita dictum à rigore, & subsequentibus pœnis sibi met inflictis.

*Examen Censorium*

Horum omnium Examinum, in promptu habebat puncta, quæ ob prolixitatem, hîc non adnoto. Ut tamen appareat mira ejus perspicacitas in pervidendis imperfectionibus, & nævis animi, Materiam solummodò Examinis Decimi septimi, ex ejus libello hîc appono.

*Fontes imperfectionum.*

1. Inconsideratio, & indeliberatio ante opus, & post opus. 2. Languor mentis, efficaciam fervoris enervans. 3. Inconstantia in bonis, ob causas leves. 4. Dilatio agendorum, de tempore, in tempus. 5. Fiducia sui, spes supplementi,

*Examen imperfectionum quotidianarum.*

V.P. Druzb. Op. I.

L

blan-



blandimentum de facili compensatione. 6. In-  
 tentionis defectus; quia nulla, non pura, frigi-  
 da, retractata. 7. Irresignatio, timor humanus,  
 amaritudo, sæpe vana imaginans, illudens, ab  
 opinionis dominio profecta. 8. Delectationes  
 satisfationesque, naturæ indultæ, condescen-  
 sionesque propter merum naturæ ductum. 9.  
 Defectus præsentia ad se, raritas recollectionis,  
 præcipitatio, festinatio, ursio inquietans sine ra-  
 tionabili causa. 10. Tardus ad Deum & oratio-  
 nem recursus, in labore, difficultate, tribula-  
 tione. 11. Designationes ad pauca respicientes.  
 12. Tenax in hæsiō ad proprium ordinem, de-  
 signationem, iudicium. 13. Justificatio, & ex-  
 cufatio sui erroris, apud se, & apud alios. 14.  
 Querulositas de injuriis & ingratitude, ac  
 difficultatibus, deque moribus, & morositati-  
 bus alienis. 15. Affectata dissimulatio remor-  
 suum, & instinctuum interiorum. 16. Inordi-  
 natio temporum, & actionum. 17. Fuga con-  
 fusionis, celatioque quorumvis defectuum co-  
 ram Deo, & Confessario. 18. Scandala, modica  
 licet in specie. 19. Fuga laboris in advertendo,  
 & examinando. 20. Conjectio sui in angustias  
 temporis ex causa culpabili: Unde perfuncto-  
 ria, actionum expeditio. 21. Eventuum præter  
 mentem evenientium, non in Deum rejectio,  
 neque ex gustu providentiæ divinæ acceptatio.  
 22. Merum, & nudum, studium explendi nume-  
 rum piarum actionum, obturandique conscien-  
 tiæ clamorem, ac morsum. 23. Sordida quæ-  
 dam temporis parcitas, quâ volumus citò ex-  
 pedire obsequia divina, interim & opus, & tem-  
 pus perdimus. 24. Naturalis affectio ad perso-  
 nas,

Fontes 32. va-  
 riorum defe-  
 ctuum.



nas, amicos, benefactores, amatoresque proprios: naturalis item affectus res, officia, occasiones, laudes proprias. 25. Naturalis averfio, & declinatio à personis, Officiis, molestiis, indigentis. 26. Applicatio effusa mentis in agendo, absque dominio, & præsentia sui. 27. Debilis, & fluctuans applicatio ad agendas res, quæ præ manibus sunt. 28. Respectus humani, rationesque humanæ sperantes, timentes, differentes, dissimulantes. 29. Spes impunitatis. 30. Oblivio proveniens ex fiducia memoriæ, vel ex dilatione. 31. Desuetudo, vel è contra assuetudo. 32. Fiducia, & veluti nidificatio, acquiescentiaque in rebus, personis, locis, amicis.

Præterea operæ pretium est, apponere *Examen horarium*, quod sibi præscripserat, in hunc modum.

Horâ sonante, vel certâ horâ, quam mihi ex *Examen ho-*  
temporis distributione Examini deputavero, ap- *varium.*  
petente, Examen infra scriptum faciam.

*Punctum 1.* Gratias Tibi ago Deus meus, pro *Punctum 1.*  
omnibus, & singulis totius vitæ, & horæ elapsæ, elap-  
suræque beneficiis.

*Punctum 2.* O Trinitas Deus, lux beatissima, reple *Punctum 2.*  
cordis intima, &c.

*Punctum 3.* Examinabo horam, & opera ho- *Punctum 3.*  
ræ elapsæ.

1. Impensane hora operi designato, & opus an  
suâ horâ factum?

2. Opus bonumné suâ naturâ, an intentione?  
factumné bene? & quâ bonitate? naturali, po-  
liticâ, supernaturali? Habuitné aliquam circum-  
stantiam vitiosam, præcipuè effusionem, tepo-  
rem?

1. 2

3. Ser-



3. Servat ené in operæ regulæ communes, & observationes privatæ?

4. Præmisistiné operi intentionem actualem, an virtuales tantum?

5. Ea intentio fuitné pura, defæcata vacua meo bono, solum Deum præcisè intuens, an occultè & subdole proprietatem querens, sperans, respiciens? Fuitné ita defæcata, ut non spectaverim etiam spirituale, etiam æternæ vitæ commodum, aut meritum, in

Examen intentionis.

quantum illud meum bonum est; sed pure in quantum Dei, & propter Deum? Itane solius Dei gustum, gloriamque spectavi; ut juraverim, & intenderim omnimodè possibiliter, Deum hoc opere dignificare, in quantum est dignificabilis in se, & in quantum ego sum dignificativus Eius, ex gratia, hic & nunc habitâ. Itane nihil mei quæsi in opere, ut etiam insuper vilificârim me, quantum vilificabilis sum à Deo, à me, ab omnibus Creaturis.

6. An ad opus, & in opere, auxilium Dei expetii, illique soli innixus sum plene, de viribus, & sufficientiis meis expresse desperando.

7. An opus egerim ex totis viribus animi, (quantas opus requirebat in substantia, & perfectione sua) & corporis; salvâ discretione, & an in hanc peccatum sit?

8. An in opere imitatus sum Christum, ejusque exemplar?

9. An in opus meum, gratiæ, meritorum, operumque Christi influxum curaverim, petierimque?

10. Univine opus meum actualiter, ardentè, appetitativè, Jesu Christi laboribus, & conatibus, & meritis?

Examen perfectionis operum.

11. An conatum adhibuerim, ita dignè, & assiduatè Christo facere opus, ut opus meum, opus Christi vi-



sti videretur, & ego quasi Christus alter coram Deo judicarer?

12. Quâ applicationis, & attentionis, & affectûs in Deum, Christumque continuatione, feci opus meum? Numquid crevit in me per singula momenta? Numquid replicabatur, sublimabatur cordis, & vividitatis Christi sublimitate? Nunquid supplebam affectum, & efficaciam meam, affectu, & efficacîâ debitâ DEO à me; à Creaturis, à Sanctis omnibus in Cælo, à Pretiosissima Parente, à Christi humanitate, ab ipsa denique Trinitate Sanctissima?

13. An atomis omnibus meis, tantum conatum, eamque fervoris proportionem impressi inter operandum, quantum totus ego, & omnis utraque substantia mea habere debuit?

14. Quâ mortificatione meâ feci opus, præsertim menstruâ, & interna?

15. An sectatus sim, repressionem desideriorum impotentium, an effusionem super opus? Examen subtilium defectuum.

16. An superavi impedimenta, tædia, difficultates in aggrediendo, & operando?

17. An dilationi restiti, an compescui festinationem, & solius perfunctionis studium?

18. An linguas, juâcia, respectûs superavi, ad illosque absurdi, & occalui?

19. An laudes, approbationes, vel spem earum despexi?

20. An in opere corporalem afflictionem, in aliqua parte quæsi vi, arripui?

21. An menstruæ externæ mortificationis actûs, vel desideria saltem proposita que habui?

22. An hoc ipsum examen faciam cum ea applicatione, & sufficientia, ut contenta sit ratio?

Punctum 4. defectûs notatos dolore intimo Punctum 4.

L 3 super-



supernaturali expiabo, & supplementariis actibus, ac nominatim actuali supradicta observandi proposito complacentiaque, & approbatione eorum supplebo: tum etiam mortificatione externâ, sanguini Christi immistâ, balneabo.

*Punctum 5.* *Punctum 5.* Emendationem proponam, & præter proximos supplendi conatûs, insuper penitentiam pro defectibus pœnalem subibo.

## C A P U T XVI.

*Animabus Purgatorii Opitulatio à Patre Gaspare impensa.*

*Proprium Societati est, animabus Purgatorii opitulari.* **S**I cui, certè Societati nostræ, circa animas Purgatorii sollicitudo, propria esse debet; ut pote cui salus, & perfectio animarum, pro fine, & scopo omnium religiosorum operum est, hoc ipsum incitamentum ad opitulandum animabus Purgatorii, memini me ex ore Patris Gasparis, in Exhortatione quadam, accepisse. Quàm vero ille ipse, eo in negotio sedulus, & serius fuerit, ex propositis ejus in praxim deductis, collegi.

*Quotidianæ opitulationes animabus Purgatorii.* Inprimis itaque sic quotidie animabus Purgatorii opitulabatur. 1. Quolibet mane cujusque diei, post peracta Exercitia matutinæ surrectionis, faciebat in honorem Æternæ Sapientiæ, Jesu Christi, disciplinas duas, pro Animabus Purgatorii, claudens utramque oratione; *Deus qui nobis in Sancta Sindone* &c. 2. Cujuslibet Saceri (exceptis paucorum dierum) per Annum, fructum satisfactorium, vel totum, vel partialem, pro Animabus Purgatorii certis, vel in communi offerebat, iisque applicabat, præter eum,